

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
De
LAPIDE MA-
NATI,

Quam
DEO BENEDICENTE,
RECTORÉ MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ELECTORATUS
HEREDE E. R.

IUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
SUB PRÆSIDIO
EXCELLENTISSIMI VIRI
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. DOCT. AC. PROF. PUBL. h. t. DECANI
PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS
sui etatem colendi,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Juraque & Privilegia
legitime capeffendi,

Ad d. XXIX. Jun. MDCXCIX horis ante- & pomeridianis
Publicæ Eruditorum disquisitioni proponet

LEOPOLDUS ALBERTUS LABACH,
Nimicensis Silesius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Christiani Henckelii, Acad. Typ.

AMERICAN
MAY

THE
MAY 7 1901

AMERICAN

AMERICAN





Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Curata materiæ Medi-

cæ notitia, quantum ad decorum ,
utile & necessarium Medici confe-
rat, quantum delectamentum præ-
beat curiosis naturæ scrutatoribus,
me tacente jam vulgus novit. Sed
eheu dolendum, jucundissimam

hanc Medicinæ partem, quoad plura ejusdem, sic barba-
re dicta materialia, adeo esse abstrusam, ut impatientem
Tyronem scrutatorem, vel deterrere queat, prolixissi-
mus objectorum in hæc occurrentium, campus. . Taceo
notas Characteristicas, ortum, locos natales, vires, cæte-
rasq; qualitates tum vegetabilium, tum mineralium, tum
etiam illorum concretorum ex animali Regno defumto-
rum. Si sola Botanica, in examinandis plantis plurimis
saltem, indigenis, paucioribus exoticis, magis adhuc in-
cognitis, viros exercuit per totum fere vitæ tempus, ne-
tum quidem ad perfectionem minimam dictu redacta; in
examine mineralium accuratori solus aliquis totusque re-
quiratur; in inspiciendis animalibus, ex quibus saltem res
ad materiam medicam spectantes petuntur, vix longa Iti-

nera, sumtusque ineffabiles, sedulo scrutatori satisfaciant; fatis apparet, vel ex hac una Medicinæ parte, studii hujus difficultas, ad eò, ut quilibet cogatur fateri veriloquuum esse venerandi senis Aphorismum primum: Artem longam esse, vitamque brevem, neutiquam sufficientem pro singulis capiendis, ad Medicinam pertinentibus. Hæc cum ita sese habere semper, per totum studii mei hætenus Academici curriculum, adverterem: Mecum constitui, dum specimen inaugurale studii gesti mihi conscribendum, fuscipere pensum aliquod ex materia Medica, loco Thesium quarundam practicarum, quas more magis consveto, Artis nostræ Candidati in hoc Negotio exhibere solent. Has enim, dum, ob majorem ejusmodi Thematum conscribendorū frequentia, magis explanatas cernerem: Illas vero quæ ad Materiæ Medicæ explicationem faciunt, ob scribendi raritatem minus declaratas: Officii mei, si non commodi simul forsitan quoque aliorum, fore ratus, si præ magis cognitis feligam abstrusiora, neutiquam minoris utilitatis seu valoris quam illa, non neglectis interim illis quæ ad notitiam practicam de hoc concreto spectant. Veniam dabit Lector Benevolus si præsens labor spei forte non ubiq; satisfacere potis fuerit. Tribuet illud potissimum illi, quod præsentis materiæ contemplan-dæ, ubique, etiam in probatissimis Autoribus, deficiat descriptio sufficiens. Tu autem Numen clementissimum, cujus arbitrio & benedictione studia mea hætenus gesta fuerunt, fac ut specimen hoc testetur de tua Benedictione & clementiâ paterna, hætenus in studiis meis uberrimè exhibita: ut Te solum esse fontem & Autorem omnis boni semper ex toto corde agnoscam.

Mem-

MEMBRUM I.
DE NOMINE, ORTU ET DIFFERENTIA LAPIDIS MANATI.

BOno cum Deo, aggredior contemplationem hujus concreti. Antequam verò ejusdem vires in Examen vocitem, ordo jubet, ut prius partim de nomine, partim de ortu, aliisque *qualitatibus externis* hujus concreti, sim sollicitus. His cognitis, facilius longè licebit inspicere, tum illius naturam, tum Vires quoque.

II.

Lapidis nomen gerit, & ab Autoribus quoque in illam feriem, ubi agunt de *Lapidibus*, refertur. Sed quam minus bene ipsi conveniat *Lapidis* nomen, rectissimè afferunt *Job. de Laet. l. 2. de Gemmis & Lapid. c. 6. & Wormius in Musæo l. 1. Sect. 2. c. 8. Jonsth. Hist. nat. de Piscibus l. 5. c. 2. artic. 7. scilicet*, non nisi improprie ipsi convenire *Lapidis* nomen, ob *duritiem* insignem, proprie vero *Os* aliquod *Calvaria* esse, ex subsequenti descriptione clarius patefcer.

III.

Manati appellationem, obtinuit à Pisce *Manati*, ex quo peti solet hoc concretum. Cum vero à nonnullis quoque minus accuratè dicatur *Lapis Tiberonum* s. *Tiberonum*, idèd, quod ejus originem quoque statuunt ex *Tuberone* Pisce; necesse erit, ut confusionis evitandæ gratiâ, inter *Lapidem Tiberonum*, & *Manati*, pauca subjungam, quæ faciunt ad differentiam *Piscis Manati*, & *Tuberonis*, tanquam subjectorum diversissimorum, ex quibus *Lapides* quoque, formâ & consistentiâ à se invicem non nihil *differentes* annotante *Job. de Laet. l. c.* habentur.

IV.

Confusionis nunc citatæ Autor esse *Clusius*, accusatur, ab *Anselmo Boetio à Boot. l. 2. c. 187. de Cap. de Lapid. & Gemm.* & commentatore ejus *Job. de Laet. l. c.* nec non, quanquam benignius, ab *Olo Wormio* in *Musæo*, loco supra allegato. Sed licet *Clusius* accusatus, l. 9. *Exoticorum* c. 32. ubi in *Manar dem*, *Lapidem* & *Pilcem*

cem *Tuberonis* describentem, commentatus est, forte posuerit, hæc verba, quod *Manati* descriptio pleraque cum *Tuberonis* historia communia habeat: Interim tamen non unum eundemque dicit Piscem esse, *Manatum* & *tuberonem*, uti magis adhuc ab hoc errore imputato, *Clusium* absolvunt propria ejus verba, quæ extant loco cit. Ubi expresse Icone addito, *Lapidem* vulgò *Tuberonis* creditum, rectiùs *Manati* *Lapidem* appellandum esse, docet, ex ratione in descriptione laterali addita: quod statuat, autoritate forte *Hernandi* & *Acostæ*. quam citat *Wormius* l. 2. in *Pisce Tuberonum*, nullos dari ejusmodi *Lapides*, qui vulgò habentur pro *Lapide Manati*.

V.

Clarius vero, tam quoad ipsius Nominis *Manati* *Etymologiam*, tam quoad falsum *Tuberonis* cognomentum illustrandum, omnia adhuc patefcent: Si, uti supra pollicitus sum, aliqualem mentionem faciam Piscium binorum diverforum *Manati* & *Tuberonis*, quantum eorum descriptio ex Autoribus hauriri potest. Sequar autem ubique descriptionem *Classi* l. 6. *Exotic.* c. 18. & l. 9. *Exot.* c. 32. *Francisci Lopez de Gomara.* c. 31. *Histor. Gener. Consalvum Ferdinandum Oviedum* l. 13. *Hist. Gen. & naturalis Indiæ* c. 7. & 10. *Olaum Wormium* l. c. *Jonsthonum Hist. Nat. de Piscibus* l. c. *Boetium à Boot* & *Joh. de Laet.* l. c. nec non *Joh. Razi* synopsis *Methodicam Animalium quadrupedum*, & *Serpentini Generis*, qui ultimus ex *Hernando* excerpta quædam, huc pertinentia, tradit.

VI.

Vocis *Manati* *Etymologiam*, *Oviedus* l. 12. *Hist. Gener. & Nat. Jud.* c. 10. satis ingeniosam & verisimilem deducit nempe: Quod *Hispanis* Consuetudo sit, omnium quadrupedum anteriores pedes *manus* appellare; & cum piscis iste circà pectus, capiti proxima bina crura breviter habeat, instar *manuum*; inde dictum fuisse piscem hunc *manatum*, quasi dicas *manibus præditum*.

VII.

Synonyma hujus piscis *Clusius* l. c. duo tradit [1] *Vacca marina* dicitur: quale nomen à *Belgis*, cum ab his caperetur, ob

ob caput & carnem *Bovis* haud ab similem, excogitatum fuit. (2) ab eodem *Clusio* haud accurate *Phoca* titulo exprimitur, cū dicit: Piscem hunc ad *Phocarum* genus haud dubiè referendum esse, sed longè majorem esse *Phoca*. Verum differentiam inter *Phocam* nostrumq; animal, *Rajus cit. synopsis: quadrupes: p. 194.* ex *Hernando* citat talem : quod *Phocas* animal *rapax*, & *piscibus* præcipue vescatur. *Manati* verò Piscem, nullo morfu nocuum esse herbisque ad littora crescentibus & fucis marinis pasci. Adde quod *Phocas* animal quadrupes, nostrum autem *bipes*, pluribusque *corporis* partibus diversum esse, à nostro, de quibus vid: *Jonstbon Hist: nat. de Piscibus l. 5. c. 2. artic: 6. An Bos sit Aristotelis?* qui ab eodem Autore inter *Cetacea* reponitur & describitur *l. 6. Hist. Anim. c. 11. vix certi quid cum Jonsthono l. 5. c. 2. Art: 7. Hist: nat. de Piscibus, determinare possim.*

IIX.

Sequitur *descriptio* piscis immediate his subjungenda : quod sit animal *cetaceum*, *amphibium* tamen, ex mari ad versa fluminum subiens, juxta *Oviedum* verò non egrediens aquam, sed secundum ripas, quas apprehendere potest *herbas* depascens; Utribus, in quibus *Medine del Campo* & vicinis locis *mustum* vehitur haud ab simile: capite *Bovis* ad instar, sed majori, *macilentiore* tamen ore, & crassiore mento : *Oculis* ferè caninis, admodum *exignis*, pro corporis mole, quæ variat, nunc juxta *Clusium* *αυτόπηη* in longitudine *Pedes decem* & *sex* cum *semisse*: in *ambitu* verò *pedes septem* cum *semisse* comprehendit, juxta *Gomara* verò relationem, ad *viginti* *Pedum* longitudinem accedit: adè ut juxta *Jonstbonum*, *Jugo* *Boum* opus sit, pro vehendo uno : *Auribus* (scilicet externis,) caret, habet tamen *exigna foramina* aurium loco. In ejus *capite* vel *Cerebro*, juxta *Oviedum* & *Jonstbonum* reperiunt *bini lapides* seu *ossa* potius, magnitudine pro piscis mole variantes, de quibus infra in speciali descriptione *Ossium* horum: *Penem* equinum habet, moreque humano coit, *viscera*, & *aurinis* respondentia: *Femina*, duo *ubera* habent in pectore, *binos catulos*, (juxta *Hernandum* unum saltem,) pariunt & *lactant*; *binis* gaudet *cruribus* crassis & rotundis prope *pectus*, quibus *nata*,

tat, in quorum extremitate latà, instar *pinnarum*, conspiciuntur
ungues, quatuor: juxta *Hernandum*, humanis, juxta *Gomaram* ele-
 phantinis, haud absimiles. Ab *Umbilico* ad *caudam*, gracilior
 fit, quæ *informis* & *lata* totaque ad extremum dicitur *nervosa*, cujus
 motu celeriter natasse, *Clusio* relatum fuit. Cutis est similis *u-*
stulati Porci Corio, ad digiti crassitiem *densum* & *durum*, *brevibusq;*
 & *raris pilis*, ex *cineraceo* fusci coloris. Paucis: sædissimi est aspe-
 ctus bellua, juxta omnes autores, impr. ubi majorem molem
 acquisivit.

IX.

Ab hac descriptione paulisper recedit *Petrus Martyr*, in de-
 script. *Insule Hispaniola*, ubi inter alia quoque Piscem *manatum*
 describere voluit, cujus excerpta de hac re vid. apud Joh. Eu-
 sebius *Nierenbergium* Hist. nat. l. ii. c. 9. Dicit Autor ille, ani-
 mal esse *testudinea forme*, *quadrupes*, *squamis* tamen, non *concha*,
munitum, *corio durissimo*, ita ut neque *sagittam* vereatur, *mille ver-*
rucis armatum, *tergo autem plano*, & capite penitus *bovino*. Ver-
 rum cum priora hujus descriptionis verba, planè contrarien-
 tut unanimi cæterorum Autorum relationi, e quibus *Clusius*
διωόπτης: merità suspicandum est, Autorem hunc aliam Bel-
 luam pro *Manato* vidisse & descripsisse.

X.

Videndum nunc erit, quantum à nostro animali *Tubero*
 Piscis differat. Est a. *Tubero* seu *Tibero*, nil aliud juxta *Joh. de La-*
et. l. 2. de Cap. & Gemm. & *Jonstbonum* l. 5. Hist. nat. de Piscibus
 c. 2. art. 8. c. 6. quam *canis carcharias*, cujus descriptionem satis
 accuratam, unà cum *Icone* æneo vid. apud *Jonstbonum* l. 1. Hist.
 nat. de Piscibus c. 3. art. 2. puncto 1. Aliter equidem paulo de-
 scribitur *Tubero* Piscis, non sub *Carcharia* nomine, ab *Hernando*
 apud *Nierenbergium*, tamen licet singularia *Hernandi* descriptio
 contineat, quæ vulgo de *Carcharia* Piscis, non habentur; ta-
 men non adeò contrariatur descriptioni *Carcharia* à *Jonstbono*
 data, sed quibusdam attributis *Voracitate* & *raparitate* it. *fauci-*
um rictu amplo, & *dentibus* præacutis, (à quibus *Carcharia* no-
 men: *καρχαρος* enim idem ac asper significat) cum ea convenit.

nit. Et magis' apparet : veterum *Tuberonem* esse recentiorum *Carchariam*, quia jam ab *Acosta*, *Tubero*, alio quoque nomine *Haye*, nominatur, quale nomen *Haye* etiam recentiorū *Carcharias* gerit, uti videri potest ex *Job. de Læet* l. c. Obiter hic inferre licet : Piscem hunc *Tiburonem*, seu *Carchariam*, videri fuisse illum, à quo *Propheta Jonas* deglutitus fuit, uti satis egregie demonstravit *Bartholinus* Tr. de morbis biblicis c. 14. & præterea probabilitas hujus rei, ex Anatome *faucium amplissimarum, ventriculi & intestinorum, hominibus loricatis* intra ejus ventriculum inventis, apud *Nierembergium* in excerptis *Hernandi & Acosta* & apud *Jonstbonum* in descript. *Carchariae* notata desumi potest.

XI.

Dum igitur ex his actum esse videtur : *Tuberonem esse Carchariam*; cujus Synonyma : *Canis Aristotelis*, *Galeus canis* juxta *Oppianum*, *Canicula* secundum *Plinium*, *Scylla*, it. *Lamia* &c. facile nunc quilibet ex descriptione *Carchariae* apud *Jonstbonum*, opposita descriptioni *Manati* supra datæ, perspicere potest, *Tuberonem & manatum* animalia esse *diversissima*. Adeo, ut vix operæ pretium fuerit : *Tuberonis* delineationem huc transcribere ex Autoribus.

XII.

Melioris vero fidei gratiâ liceat pauca saltem, & notatu digniora saltem quidem, hic de *Tubero* allegare, quo magis cognoscatur hujus diversitas à *manato*. Prævit hoc in opere jam *Olaus Wormius*, in *Musæo* l. c. qui sequentia pro diversitate demonstrandâ allegat. Dicit : *Manati* Piscem, esse *ambibium, docilem, mitem*, hominum consuetudine gaudere : *Herbas depasci* : *Tuberonem* verò cetum *ferocem, maleficum, Hominum devorato rem*; *Manati*, tam in fluminibus, quam in mari capi testatur *Oviedo*; *Tuberonem* vero tantum esse Piscem cetaceum juxta *Hernandez* tantum Oceani; juxta *Theophrastum* vero l. 4. Hist. Plant: c. 8. etiam *maris rubri* incolam : dum narrat Autor nunc citatus mare hoc *Bellus* refertum, plurimasque *καρχαρίας* habet, in tantum, ut mare tutum non sit. Pergit

Wormius: *Manati* pedes habet, *Tubero* nullos, *Manati* Bronchias nullas habet, *Tubero* utrinque quinque. Addo: *Manati* caput instar *Bovini* esse oculis parvis præditum & macilentiori ore: *Tuberonis* vero, plane alius figuræ, cum *Rostro* *Rana* ad instar, subrotundo *Rictu* amplo, *Oculisque* magnis. In *Manati* Historia, nulla mentio fit faucium tam *ampliarum*, per quas, sicut in *Tubero* experientia docuit, deglutiri posset *Homo loricatus*. Tales enim nec reperiuntur in *Balanis*, *Grœnlandicis* & *Islandicis* longe majoribus, Teste *Bartholino* Tr. de Morb. Bibl. c. 14. quippe quibus fauces tam *angustæ* ut vix *Brachium* *Hominis* capiant: multo minus in nostro *Manati* tanquam longe minori quam *Balana*: intestina habet *Taurinis* similia *Carcharias* vero unum Intestinum amplum, quo contineri potest *Homo loricatus*.

XIII.

Et sic nisi fallor, satis clarè innouit: Pisces esse diversissimos *Manati* & *Tuberonem*, ideoque exurgit exinde probatio: Concretum de quo nobis sermo, non indifferenter posse simul *lapidem* seu *Os Manati*, & *lapidem* seu *Os Tuberonis*, appellari.

XIV.

Si quis vero objiciat: licet demonstratum fuerit, *Manati* & *Tuberonem* animalia esse diversa, interim nondum dubium sublatum est: an osseum concretum, quod vulgo pro *Manati* lapide habetur, solitarie à *Manati* Pisce, an vero etiam ex *Tubero* eximatur tali sub figura? Hoc dubium proponit *Wormius* in *Musæo* lococitato, qui clere fatetur: Tum ex *Manato*, tum ex *Tubero*, tum etiam ex *Balanis* ipsis, Os tale, quod ibi *Cochleam* auris nominat, planè *æqualis* figuræ eximi, ita ut unum præ altero non cognosci queat. Igitur vi dubitationis hujus aliquem citra erroris discrimen, posse hoc concretum appellare vel *Manati* vel *Tuberonis* Lapidem, donec satisfactum fuerit *sufficienti autoritate*, quantum figura vel consistentia aliarumque qualitates *Lapidis Manati* differant à *Tuberonis* *Lapide*.

XV.

Pro hoc discutendo dubio necesse erit: ut concretum

nostrum secundum singulas circumstantias supra dictas, Examini subijciamus. Et cum de nomine ejus, & ortu, pluribus jam in antecedentibus actum: Superest illorum mentio; ex quibus descriptio accuratior concinnari queat, quod differentiam ostendat inter *Lapidem Manati*, & *Tuberonis*: paucis: ut appareat, quid *Manati* & quid *Lapis Tuberonis*, vulgo dictus.

XVI.

Pro descriptione isthac debita efformanda, pauca restabunt, de ortu hujus concreti speciali magis adhuc notanda. Satis equidem obscure ab Autoribus haftenus allegatis, hic explicatur. Cum *Oviedo* enim l. c. tantum non omnes Auctores praeter *Wormium* in Musæo l. c. referunt: in Piscis *Manati* capite, (quod specialius adhuc) in ejus *cerebro*, reperiri *Lapides* vel ossa bina, qui pro hoc concreto nostro haberi soleant. Certus igitur ejusdem ortus in *capite* esse patescit. Sed dubium simul exsurgit, an ossa hæc existant in *cerebro*, juxta Auctorum quorundam assertum, an verò eruantur ex *Calvarie* ossibus, quorsum inclinat *Wormius* l. c. alique recentiores quidam, ex quorum ore *posteriorem*, eamque *verisimiliorem*, mihi audire licuit sententiam.

XVII.

Circa dubium hocce levissimum resolvendum, non multum desudabimus. Notum enim est, ex Experientia multivaria: *Cerebro* vix in esse posse corpora ejusmodi durissima tantaque molis, citra *stuporem* totius corporis. Præterea nec unquam in animali aliquo naturaliter constituto, etiam Balænis ipsis, longe majoribus nostra Belluâ, *Lapides* ejusmodi *intra cerebro* repertos fuisse constat. Vera igitur manet posterior assertio, quod ossa hæc, inter *Calvarie* ossa locum habeant.

XVIII.

Cum vero *Tyrone* etiam *Anatomes* notum: *Calvariam* pluribus ossibus esse conflata; merito urget accuratus rerum naturalium Scrutator: ut quodnam ex *Calvarie* ossibus sit nostrum,

aliqualem mentionem faciam. Et sic rursus dissentientes occurrunt. Novi, quosdam habere hoc concretum pro *osse petroso*, contra vero *Wormius*, l. c. (licet de *Tuberonis Lapide* imprimis ibi differens, idem tamen etiam de *Manati Lapide* sentiens arbitratur.) esse nimirum *os ad auditum spectans*, quod in omnibus *Cetis* auditum habentibus reperiatur, dicitque ab Anatomicis *cochleam*, *cavitatem cochleatam*, *buccinatam*, *antrum buccinosum*: *Gyros* enim habere se mutuo *expicientes*, atque tenuissima membrana esse succinctum, non fecus ac *cochlea* in aliis animalibus ab expansione *nervosa à pari quinto & septimo*, illiusque ramo duriore, invicem coeunte instar membranae invenitur.

XIX.

Satis hæc pro explicatione *ortus dicta esse* poterunt; libentius *specialem hujus ossis denominationem*, qualem inter *calvarie ossa* gerat, relinquimus dubiam, cum deficiat hic sufficiens *certitudo* historica sine qua vel centum quoque rationes, licet admodum probabiles, incertæ manent. Propinquius igitur potius ad *figuram*, cæterasque qualitates explicandas.

XX.

Figuram cum *Oviedo* lib. 13. c. 7. & 10. Part. I. *Hist. Gent. & Natur. Ind. Occident.* plures Auctores unam eandemque profitentur. Dicunt: *Figuram* Ossis hujus convenire cum *illo osse*, quod in *balista* tensum *nervum* retinet, non tamen est orbiculare. *Magnitudo* hujus ab *Oviedo* dicitur instar *pilæ palmarie* seu *luforix*: interdem vero grandior, pro *piscium* corporis magnitudine. Additur *Color*, à *Job. de Laët*, quod in quibusdam ossibus *candidissimus*, in aliis *dilute rubens*, instar *loturæ* carnis; refertque prædictus Auctor: *rubentia ossa*, à *femellis*, *candida* vero ex *masculis*, peti, cujus rei fides sit penes Auctorem. *Compagem* hujus concreti idem Auctor, instar *Lapidis durissimam* dicit: *fcenam*, l. c. adjici curavit, qui cum *figura ossis* ab *Excell. Dn. D. Langiocommunicati*, satis egregiè convenit, adeo ut

non

non amplius dubitandum, hanc descriptionem ex *Oviedo & Job. de Laet*, desumptam, esse genuinam *Lapidis Manati*.

XXI.

Juxta hanc descriptionem fundamenti loco positam, feliciter examinari possunt *spurii lapides seu ossa manati*. Ex his primùm occurrit *Lapis Tuberonis*, studiosissimè, uti supra promisi, à lapide *manati* discernendus. Hic, quomodo ratione *subjecti* differat à *manati* ossè, supra demonstratum fuit; breviter nunc agendum restat, quantum hic lapis *per se*, quoad *figuram*, aliasque *qualitates*, differat à *manati* ossè. Sufficiet hic autoritas *Job. de Laet*, quippe qui *autopsie* beneficio, lapidem *Tuberonis* seu *carchariae*, quem sapius à nautis se accepisse refert, quoad primaria momenta, quibus distat à *Lapide Manati*, descripsit.

XXII.

Differt autem *os Tuberonis* juxta laudati Autoris exhibitam descriptionem (1) quod non *situm habeat* inter *auditus ossa*, uti *Manati* lapis, ideoque ad *auditus ossa* à *Wormio*, malè, & citra sufficientem experientiam, refertur. Narrat enim citatus *Job. de Laet* tanquam *αυτόπτης*: eximi hoc os ex *carchariae* piscis capite, quem nostrates *Haye* vocant, *suprà oculos*, & *quasi in fronte*, quæ capitis regio, haud commodè sustinet auditus organa. Præterea inter *auditus ossa*, vix esse posse: persuadet ossis hujus *mollities* & *friabilitas*: facile in pollinem subtilissimum redigendi; quibus apparet & (2) *compage* maximoperè differre à *manati* ossè, quod *durissimum*, instar lapidis, seu ossis petrosi. (3) Juxta *Boetium* à *Boodt*, qui ex *Manardi* excerptis, differt quoque *magnitudine*: dicit enim, esse *magnum* & *ponderosum*, adeo ut *duarum librarum* pondus æquet, qualis *magnitudo* & *pondus* nunquam in *Lapide Manati* observata fuerunt. (4) Juxta eundem autorem, differt quoque *numerus* ossium talium in capite *Tuberonis* existentium, cum *tria* vel quatuor in *Tuberrone*, in *Manati* vero Pisce *duos* saltem reperiri *lapides*, seu *ossa*, doceat. Nullum igitur est dubium, quin vel ratione *originis*, vel etiam *per se*, hæc bina concreta à se invicem sint *diversissima*.

Nec cum *genuino Lapide Manati* convenientiam habet alterum illud concretum, quod vulgò pro *Manati lapide* à mercatoribus & Pharmacopolis venditur, figuram *cochleæ* habens, & juxta descriptionem *Wormii*, dicitur esse os durissimū duplo majus vulgari *pilâ lusoria*, ex majori pisce desumptum, duarum librarum pondere circiter, intus cavum, in gyros conversum, se ipsos excipientes plane ejus figuræ, quam *Anatomici* tribuunt *cochleæ auris ex Balanis desumptæ*; ita ut idem Auctor, haud immeritò, & recte quidem, videatur suspicari: cum videret ex *Balanis* propè *Spitzbergam* captis, plane similia ossa adferri à Mercatoribus, illa esse ex *cetis* vulgaribus *Islandicis* & *Grönländicis*. Tura igitur *Wormii*, qui in locis illis degit, ubi *Balanarum* anatome feliciter haberi potest, autoritas erit, ex parte pro demonstratione: *Ossa illa majora*, vulgò pro *Manati* ossibus habita esse plane aliquod diversum. Non enim conveniunt cum *genuino lapide manati* (1) *figura* plane diversissima: (2) nec *pondere*, triplo aut quadruplo majori (3) nec *colore*, qui in *Manati* ossibus est albicansissimus, in *Pseudomanati* lapide, est obscurè albicans, (4) *odore*, quando leviter teritur hic, odorem spirat *fætidum*, instar *gari* seu *axungie ceti*, id minus in *Manati* lapide occurrit; licet enim *rassetur* aut *fricetur* ad incalcescentiam, ut *pseudomanati* lapis, nullus tamen odor adeo adversus observatur. Juxtà Auctorum enim recensiones inest *Manato* pisci *pingvedo purissima*, quæ fricta difficulter *rancorem* contrahit, contrarium verò palam esse in *pingvedine Balanarum* satis *fœtidâ*: qualis odor etiam inest *Pseudomanati* ossibus tanquam copiosa *pingvedine fœtida* turgidis. His addere liceat (5) *Testimonium* certius: quod ex mercatore qui mercaturam apprime faciebat rebus ex *Balanis* desumptis) percepi, qui referebat: ex *Balanis* vulgaribus *Grönländicis* eximi hæc ossa à *nautis*, quibus id præmi loco admittatur à mercatoribus. Quæ singula conjunctim ritè perspecta utique aliqualem lucem accendunt, qua innotescit: aliud ratione ortus) concretum esse *Lapidem Manati*, aliud *Tuberonis*, aliud *Pseudomanati* lapidem, quæ vulgò in-

Greenland

11

invicem confunduntur, licet ratione virium, uti singuli Autores fatentur, magis fortasse convenient.

XXIV.

Et hujus ipsius sententiæ, est præcipuè ipse *DD. Præses*, qui, quoad effectum, nihil inter se invicem insignite differre hos lapides, pro certo habet. Neque hoc tantum, sed suspicatur simul, illos eosdem *Manatos pisces*, quos in *Orientalium* æque ac *Occidentalium, Indiarum* tractibus, oceanus sustentat, esse ejusdem planè generis, cum *Septentrionalibus* illis *Hippopotamis*, quos vulgus nautarum, *Walrussen* appellat. Licet enim in *Manatis* nostris, hæcenus recensitis, nulla apud Autores mentio fiat *dentium*, & præcipuè quidem *insignium*, & *grandium* illorum, qui interdum ad *mediocri* brachii crassitiem accedunt: Coincidit tamen reliqua totius animalis descriptio, adeò aptè cum *Manato*, ut parum dubii subesse videatur, quin unius ejusdemque, ad minimum generis, si non *specialissimæ speciei*, existant.

XXV.

Illud satis compertum habet, quod effectus illi, qui à *Manati Lapide* expectantur, in *Hippopotami* quoque *Dentibus* satis activè sese exerant. Et hoc quidem adeò vero consentaneum putat, ut etiam multorum aliorum *Cetaceorum* quædam partes, hos eosdem effectus præsentissimè exhibeant. De quo infra, ubi de effectibus, plura adjecit.

MEMBR. II.

De Natura, & usu medico Lapidis

Manati.

I.

Exterioribus hæcenus saltem Concreti hujus perspectis, liceat interiora ejus introspicere, & primum examinare, ex quibusnam partibus consistat; quò accuratiùs demum definiri queat, quibusnam causis morbificis, seu morbis, depellendis sit adæquatum remedium, quomodo vires ab Autoribus decan-

cantatas, exferat, & quibus remediis, pro usu *medico*, commo-
de admisceri, & intrâ corpus assumi, queat.

II.

Docet autem vel *analysis* superficialis saltem, concretum hoc consistere ex plurimis particulis *Terreis, gelatinosis, & Sale volatili*; haud secus, quàm aliæ partes ossæ, ex animalibus desunt. Manifestæ sunt particule *terree*, ex simplici aspectu, vel levi *trituratione*, & *sapore* nullo evidenti. *Gelatina* ex firmissima *compage* particularum terrearum, vel, quod melius, ex *coctione* Rasuræ hujus, quemadmodum Rasura CC. Eboris &c. decoqui solent, patefcunt. *Sal volatile* ejus equidem nulla occasione mihi per destillationem elicere licuit, verum cum partium *gelinosarum* præsentia, probata fuerit, quis denegabit huic concreto *Sal volatile*, *Salia* enim cuius infunt corpori naturali, sive *volatilia*, sive *Salsa*, sive etiam *acida* fuerint: licet propter *subtilitatem*, aut involucria varia, non semper sensibus pateant. Quod si ergò tale concretum, junctum habeat *Sulphur* cujus naturæ sunt *Gelatina*, certissimum esse; a *Sulphure* præsentis, in destillatione chymicâ abripi *Salia* illa, *volatilifari*, & in altum attolli, unde *Sal volatile*. Id patet ex odore penetrantissimo *Salium Volatilium*, qui non aliunde quàm à partibus *Sulphureis, Sale* imprægnatis, dependet,

III.

Præterea, citra etiam *analysis chymicam*, præsentia *Salis Volatilis* in nostro concreto, innotescitâ *posteriori*, scil. virtute *anti spasmodicâ*, à recentioribus multis modis, licet non scriptis publicis, *celebratissimâ*. Requiritur enim in *Spasmo*, aliquid motum vel ipsum, vel causam ejus mitigans. Quod si ergo concretum nostrum esset merè terreum, neutiquam effectum talem præstare posset, nisi forte *acidam* aut biliosam cruditatem *absorbendo*, unde *Spasmodica* affectio orta, & tandem continuata fuerat, donec accederet illud removens causam morbificam spasmi. Verum hac ratione, sed maxime improprie *antispaasmodicum* esset remedium *acqua simplex*, diluens *acrimoniam acidam* vel biliosam, item *Martialia, &c.*

IV.

IV.

Hæc sunt *tria* illa *principia*, è quibus coagmentatus videtur noster *Lapis Manati*: Sed cum sint *generaliora* solum, quæ ipseurique *communia* habet cum omnibus aliis *offibus*, quorumlibet animalium, frustra forte fuerit, deducere ab ipsis magis immediatè, efficaciam ejus *Specialem* circa varios effectus, quos ipsi adscribit Autoritas Practicorum. Sunt verò illi, (1) Effectus *antispassmodicus*, & adeò *antepilepticus*: (2) *Anticolicus*, (3) *Diuretico-Lithonripticus*.

V.

Solet quidem hic, vulgus *Practicorum*, vel potius *Theoreticorum*, recentiorum, totam horum generum efficaciam, in hæc eadem *principia* rejicere; Cum enim *causas Spasmodum*, modò in *obstructionibus* nervorū, modò in *vellicationibus*, ponant: Putant examusim convenire talibus causis, tum *terream*, tum *salino-volatilem*, tum *gelatinosam*, substantiam: Ut *absorbendo*, *resolvendo*, *obtundendo* & *demulcendo*, effectus hos assequatur tale concretum. Idem statuunt de *Colicis* pathematibus: Idem de *Nephriticis*, imò ipso *Calculo*: Cum enim omnia in genere *irritationi*, *rosioni*, *vellicationi*, adscribant, putant, in talibus concretis abundè esse, quod mala talia promptissimè tollat, & quidem per viam hanc *simplicissimam*.

VI.

Sed sunt *duo*, quæ regerimus, quæ quidem præcipuè *D. Præses* semper maximi momenti esse, ducit. *Primo* enim, si talia concreta non agant, nisi è talibus *principiis*, nuce cassa viliora habenda fuerint; Cum non modò talia concreta, quæ *Principia* hæc, etiam *liberiora*, & velut in promptu, *juncta* possideant, inter nostratia antè pedes sint; Sed etiam, *principia* talia veluti *puriora* statim propinari valerent, adeoque præsentissimà efficaciam, & quod ajunt, per brevem manum, tolli possent omnes ejusmodi affectus.

VII.

Sed absunt longissimè, otiosæ tales *speculationes* ab effectu, quando in præsentī discrimine adhibetur tale generale

medium. Si enim v. g. perpendatur, (1.) quantum *temporis* requiretur, donec *durissima* talis materia saltem emolliatur in ventriculo patientis: (2) quid deinde *terrea* suâ, & *gelatinosa* substantiâ, efficere posset ad rhombum, (3) siquidem, qui *actuâle Sal volatile*, in hujus generis *duris* partibus animalium, supponunt, ne responsione quidem dignos putat *D.D. Præses*: Et his applicet, efficaciam talium *terreo-gelatinosorum* jam *liberiorum*, aliunde petitorum, ad tales affectus: Consideret etiam *tempus*, & *quantitatem*, quâ talia vel *nihil*, vel *vix modicum* quidquam, perficiant: Tunc faciliè conclusionem securam arbitratur, quod etiam nostrum coneretur, vel *nihil effatu dignum* præstiturum sit, adeoque ullam *specialem* considerationem non mereatur: Vel quod, si utique aliquid *præsentius*, & *certius*, quàm *terrea, gelatinosa, volatilia, seorsim* aut *conjunctim, liberiora* aut *commixta*, perpetret, undecunque potius aliter, quam à tali *generali* & *purè materiali* habitudine, id ipsum dependeat.

IIX.

Ut itaque toti negotio *justa interpretatio* adhibeatur, monet hæc *D. Præses* (& sunt eadem mihi quoque nota ab *Experientia Viri alterius Celeberrimi.*) *Princeps effectus*, quem *Lapis Manati*, neque ille solum, sed & *Dens Hippopotami*, edunt, est, *Sanguinis*, ad fluxus commoti, ad eruptiones spectantis, cohibitio. Unde quidem *Lapis* hic noster, ab *Excellent. D.D. Rivino*, ad hæmorrhoidalem præcipuè fluxum adhiberi solet. Et commendat eodem scopo *Dentem Hippopotami*, tum ad hanc, tum quaslibet similes *Hæmorrhagias*, *B. Michaelis*, in notis ad *Ideam Med. Præct. Jonston.* passim: Et notat *Wormius* in *Musæo*, & *P. Boim*, (citati uterque à *Dn. Frid. Hoffm.* in *Clav. ad Schröder.*) quod *Goa Dens* talis valde efficacæ, asservetur in *Nosocomio Regio*, cujus vim si monstrare cupiam velint, *venæ sectæ* eundem admoveant, quo ipso illa statim fluere desinat. *Quemadmodum* & ipse *B. Michaelis* usum *annulorum*, è *dente* tali paratorum, tum operè laudat. *Bartholinus* *Histor. Med. c. 2. obs. II.* mentionem facit *Sirenis*, & annumerat hæc *monstra marina*, *Phocarum* generibus.

De

De efficaciâ globulorum, è costis talis animalis formatorum, notat, quod præsentaneum remedium aduersus dolorem hamorrhoidum existant, ejusque rei testem, *Job. de Laet*, in suo ipsius corpore illud expertum, affert. Corollas quoque ex hujusmodi *Phoca* ossibus, Romam delatis, carpo applicitas, *Hemicraniam* sedasse & *vertiginem*, quæ illis depositis, recurrerint, Authorem adducit *Cassianum à Puteo*. Tandem verò concludit, *Sirenum* talium circa *Goam* captarum, *dentes* atque *ossa*, accurately studio *P. Enrici Enrici, Soc. les. & Medici Pro-Regis de Goa*, observata esse ejusdem Virtutis, quæ fit in *Hippopotamo*: At verò qualis hæc in *Hippopotamo*, existat, ut rem illic locorum notissimam, è suprâ citato *dente Hippopotami, Goæ* asservato, ad sistendum sanguinem præsentissimo, & ex ipsa frequentia horum animalium in istis locis, abundè concludere licet, ex allegati *P. Boim* relatione, qui ad *Mozambiquen*, totos *Greges Hippopotamorum*, in lacubus Sinus Marini sese volutantes, conspexit.

IX.

Alter effectus, cujus nomine *Lapis Manati* celebratur, est, quod *spasmos* cohibeat. Quid reverà hic præstet, Experientiam quam interponam, *fidam & indubiam*, fateor me non habere: Illud verò quàm maximè scio, adhiberi ipsum a *Viris Celeberr.* hæc intentione: Sed *D.D. Praeses* semper distinguere solet, inter *intentionem Medici, & effectum*, medicamenti: De *Hippopotami* verò dente, subministramus locum, ex *Theodori Tabernemontani* Wasser: Schatz/ cujus verba libet transcribere, quæ extant pag. 121. Zu diesem Gebrechen (dem Krampff) hab ich nichts bewährters funden/ denn ein Stücklein von einem Zahn von einem Meer-Roß/ an blosser Haut am Hals getraggen wie solches der Durchlauchtigst Hochgebohrne und Christlichst Fürst und Herr Herr Friederich Pfalz-Graff bey Rhein/ des Heiligen Römischen Reichs Ertruchses und Churfürst / Herzog in Bepern / höchstseeligen Gedächtnuß/ mich gelehret hat / und Sein Churfürstl. G. solches an vielen probieret haben. Es nanten Ihre Churfürstl. G. denselbigen Zahn/ einen Zahn von einem Meer-Roß der sich sonst auswendig und innen/ dig an der Farb einem Elephanten Zahn vergliche/ allein das er

Frumm und gebogen war / wie ein Zahn von einem wilden Schwein: ist sehr hart wie ein Stein / auch schwerlicher zuschneiden denn ein Elephanten Zahn / in der dicke eines gemeinen Arms. Cum itaque D. Praeses censeat ejusdem efficacia esse *Lapidem Manati*, & *Hippopotami* partes; non secus atque *Sirenium* ossa cum *Hippopotami* partibus convenire, allegata observatio *Goæ* facta, confirmat: potest proinde illi quoque usui, adhiberi nosster *Lapis*.

X.

Ex hoc eodem sine dubio capite, nempe ut *antispasmodico* effectu, *lapidem Manati* vel *mederi*, vel ad minimum *destinari*, *Colicæ*, nulli dubitamus.

XI.

Rationem *medicam* horum effectuum, ex mente D. *Præsidis*, ita connectimus, ut, quia *spasmi* plerique, præcipue verò *sponanei* illi, [non à *terroribus* aut *gravioribus doloribus*, excitati,) à *sanguinis commotionibus* pendeant, & veluti cum illis reciprocantur; propterea mirum non sit, si remedium, uni horum effectuum *eximie* conducens, alteri quoque egregiam opem præstet. Et cum *spasmi frequentiores*, communissime *molimum hæmorrhoidalium*, *confectaria*, imò veluti *Instrumenta*, existant, cohibita ipsa sive *turgescencia*, sive qualicunque *commotione*, sanguinis ipsius, *spasmos* etiam, quatenus illarum vel effectus, vel *instrumentum*, esse debebant, inde supprimi atque sisti, nihil mirum fuerit.

XII.

An verò *verè epilepticis* motibus convulsivis; *revera* opituletur, alterius fuerit quæstionis: Nos certe *luculentam* aliquam *experientiam*, quàm interponamus, non habemus. Non dissimulat verò D. *Præses*, quod hic admodum diffidat. Hoc verò præcipue monet, ut *imposterum*, datis occasionibus *circumspèctioris* observationis, exploretur efficacia illa horum concretorum *antispasmodica*, à solo ipsorum *externo usu amuletico*; utpote qui *interno* multis modis præferendus fuerit in variis casibus: Non secus ac eorundem efficacia *sanguinem sistendi*, solo *externo* usu, pariter longè præstantior fuerit, quam
interna

interna exhibitio. Hanc enim, *internam*, arbitratur præcipuè longè majorem *effectum* edere, & quidem talem non rarò, qui sæpe adhuc longè graviore passionis atque *noxæ* post se se trahere, sed non ita faciliè iterum aboleri, valeat.

XIII.

Ex ratione profusè eàdem, nempe connexionè, seu communicatione atque conspiratione, *motuum spastici. o-hemorhoidalium*, cum *nephritide*, deduci debere videtur, lapidis nostri, quicumque demum est, *effectus antinephriticus*: cujus præcipuè nomine celebrari eundem novimus. Et cum *progressus* Calculorū è *renibus*, per *ureteres*, ad *vesicam*, fiant *spastico motu* ureterum; Causa verò quasi *procatartica*, frequentissimè, sit *congestio* aliqua *sanguinis* circa renes: *Lapis* verò noster, & *sanguineis* & *spasticis* commotionibus mitigandis, interserviat: Poterit utique ex hoc capite usum hic habere. Ad *frangendos* verò, *conterendos* calculos, eundem exhibere, spectat ad suprà taxatas *bonas intentiones*, sed ab effectū alienas.

XIV.

Hanc adducimus rationem operandi Medicam. *Physicam* qui efflagitat, rejicimus ad *Physicos*; vel antiquiores, qui dicunt *actum* illum, a solo *externo contactu* præcipuè, esse à *qualitate occulta*: vel Recentissimos, qui laudabunt tales *poros*, & *particulas*, hujus *concreti*, & *partium fibrosarum* & *nervosarum*, quæ inter se mutuò *proportionem Mathematicam figurarum*, habeant, ut *particulæ* aliquos *poros* obturent, *fibras* trudent: aut *motu peregrino*, majorem *visum* in ipsa parte exsuscitent: aut talem *ætherem* per sui *poros* transcolent, qui *fibras* specialiter *pellat*: (uti ille qui per *magnetem* cursitat, *ferrum*:] vel deniquè *Medios* illos, qui *Spiritus irradiativo* quodam actu affici, *Symbolicè* impelli, aut à *Salinâ*, *Sulphurea*, *Terrea*, nostri *concreti* profapia, *fibras* vellicari, *Spiritus* incitari, & in *furorem* agi, &c. dicent. Nobis jam otium non est, his immorari.

XV.

Progredimur potius *ad modum utendi*. Diximus de hoc quod non modò *internè*, sed & omnino *externè*, effectus suo eximios edat. *Internè* itaque datur sub *rasura* tenuissimæ, au

pulv. preparati, formâ: *externè*, in *frustulis*, juxtâ *Tabernemontani* *Experientiam*: aut in *globulis corollariis*, juxtâ *Bartholini* *observationes*: aut in *annulorum* formâ, secundum *Michaelem*. At si quis *monile* quoddam inde *sculpere*, aut *nodulos* pro *indufiis* firmandis, inde *elaborare* finat, eaque ita *super nudo corpore* gestet, poterit sine dubio eodem effectu *exinde* quoque *potiri*.

XVI.

Illud *consideratū* non *indignum* esse *putamus* quod *tum Oviedus*, *tum Laet*, *tum Boetius*, & *Jonstbonus* ipse, *memorent*, ad *Diuretico-Nephriticos* *usus*, *internè* *efficaciorem* esse, *Lapidem* nostrum, *ustum*: Et tunc *demum per aliquot dies* ita *usurpatum*, *operæ* *pretiū* *facere*. Sic enim non tam *specialissimus* *amplius*, seu *specificus* nostri *Lapidis* *effectus* *habendus* *iste* *esset*; cum etiam *alia* *usta*, non *obscuram* in hoc *genere* *exhibeant* *efficaciam*. Ut enim *taceamus Vegetabilia*, è quorum *cineribus*, (& in *specie*, *Dipsaci*, quod *remedium à Celeberrimo* quodam *Practico* in *Hydrope* & *adematè pedum*, *efficacissimè* *adhiberi* *solitum*, cum *vino* *tamen*, scio] *in* *signis diureticâ* *vis* *obtinetur*: *Nota* *est* *ipsius* *quoque* *Leporis* *usui*, & *similium*, ad *Calculum* *commendatio*. Unde si *quæ lapidis nostri* *utilitas* *contra Calculum* *fuert*, *amuleti*, aut *preparati* *pulveris*, *formâ*, *merebitur* *laudem* *sua* *specialem*: Sin *minùs*, *jam* *sanè* *valdè* *generalem* *tantum*.

XVII.

Dosis, non *æque* *determinatur*, *sed drachmè unius* *pondere* *communiter* *commendatur*: Imò ad *unciam semis* *progre-*
ditur Schræderus, & è quibus *transcripsit*, *Autores*. Ad illos *affectus*, ad quos *reverà* *efficax* *est*, etiam *parciorem* *quantita-*
tem *sufficere*, *monet D. Præses*, in *effectibus* *dentis Hippopotami* *illud* *expertus*, quos *cariori* & *rariori* *huic*, *hactenus* *substituit*.


XVIII.

Ultimo *loco* *monendum* *ducimus*, & *urget* *hoc præ-*
cipue D. Præses, quod *usus* *hujus* *medicamenti*, non *ita temerè*,
nedum frivole, *fuscipiendus* *fit*. Cum enim *efficaciam* *habeat*

beat, *sanguinem potenter sistendi* imò *supprimendi*; Interim nuda illa *suppressio*, neglecto deinde respectu *imminutionis*, plurimū mali post se trahere soleat, tam in *hemorrhoidum*, quam *menstruum*, & *lochiorum* negotio: Propterea hortor, ego *Præses practicos* illos, quos hęc remedio uti, intelligo, & qui præsertim eodem jam ita usi sunt, ut eò in hominibus *annosis*, *hemorrhoidariis*, *consuetum* illum fluxum cohibuerint, & hinc patientes tales directè in *hæticam*, *hydropem*, *mortem*, manuduxerint, *in scii* quidem, sed tamen *certi*, horum malorum *autores*: Hos, inquam, & horum similes, hortor, ut hęc, & *similibus*, medicamentis, in negotiis talibus *providè* utantur: Ne horum quidem præcipiti usu, effectum edant purissimè *empiricum*, & quem quilibet *balneator*, *tonsor*, imò *femina*, aut *rusticus*, cæcâ tali administratione, similiter perpetrare valeret: *Noxas* vero hinc *imminentes*, tantò magis autem jam *consecutas*, aut *invalescentes*, vix quisquam *peritissimus Medicus*, *præoccupare* possit, aut in *solidum resarcire*. *Sciens volensque*, exemplorum gnarus, eaq; nisi *odiosa* essent, in medium afferre compos, ego *Præses*, sed bonâ certè mente atquè animo, hoc, ut jam repetitò, in *scriptis de Hemorrhoidibus*, feci, hic iterum atquè iterum moneo.

Sufficiant autem hæc circa nostrum negotium: Deo Ter-Optimo terque maximo, qui hæc etiam alicujus utilitatis *Præcticæ* esse jubeat, sit Laus & Gloria sempiterna.

FINIS.



Nomine, quod decus est, laudis priverentur avari:
 Ast humili constans est cumulandus honor.
 En! probus ut Doct̄or fiat, LABACHIU S adstat;
 Cui precor à summo prospera fata, DEO!

*His votis amicum suum honore dignissimum
 prosequitur*

JOH. SIGISM. ESCHILSOHN,
 Sorà-Luf, SS. Theol. Stud.

Quod

Quod Tibi, mi Fautor, potero deducere carmen,
 quo mea Te pietas, suavis amice, canat?
 Slesiaca votum sincere tradere lingua,
 (lingva, cui candor multus in esse solet)
 Vellem, si raperer, dum vero hæc vena sepulta est
 ad tempus, latium fuscipe quæso, melos.
 Te DEus extollit, magnos Tibi præbet honores,
 dum Te Doctoris munus obire jubet.
 Ecce! trahit varie DEus, & cognoscere mentem
 ejus nemo potest: abditus usque manet.
 Te que, ignorabas Philiri patriæque relicta
 quod DEus in claram ducere vellet Halam.
 Quæ latuere, vides. Hoc gratulor ornamentum:
 multa Tibi pateant, quæ latuere, precor.

Hæc gaudium suum amoremq; testaturus adjecit.

CASPAR GOTTSCHING, Sil.

LEOPOLDUS ALBERTUS LABACH,

κατ' ἀναγκασμα :

SOLO BULLA. PARS DULCE HABET.

Vivimus hōcce SOLO vitam, quæ BULLA caduca,
 In qua morte nihil certius esse solet.
 Cum verò mundi Plasmator crescere fecit
 Herbas ex terra, constituit Medicum,
 Quæ ipso sit nobis agris adferre medelam,
 Ac arcere necem, si velit ipse Deus.
 Laus manet hinc Medicum, Naturæ quando minister,
 Ac scit quod sanent Verba sacrata Dei.
 Gratulor hinc tibi, LABACHI, Medica quod in Arte
 Tandem pro merito promovere Tuo.
 Præclarum specimen Tua Disertatio monstrat,
 Annuat & cæptis Summus Jova Tuis.
 Faxit, quo praxi sis felix, atque misellis
 Felix auxilium suppeditare queas.
 Gratulor ast mage nunc, cum PARS Tua, quam Tibi solam
 Eligis ex aliis, DULCE HABET, atque dabit.

JOHANNES FRIDERICUS WERDER,
 Potsdamienfis Meso-Marchicus SS. Theol. St.